

C R I M I N A L I S.  
ARTICULUS LXXXVII.

81

*Publica proclamatio.*

1. In proclamatione publicâ instituendâ unius cujusq; judicii consuetudo, præfente, & petente hoc accusatore, observanda erit. Quod si innocentia accusati appareat, nolitq; accusator causam prosequi, reus verò nihilominus Justitiam administrari petat, eo casu publicâ proclamatione haud opus erit, *Zieritz. hic.*

2. Non est de nihilo, quod *Georg. Remus hic*, putat, videri articulum hunc alieno positum esse loco. Justinus Goblerus de ipsâ publicâ accusatione, quæ fit coram Judicio, hic agi persuasum sibi habet. Remus de reorum diffamatione explicat. Ego, cum *Zieritzio, verb. in proclamatione publicâ*, potius intelligendum puto Imp. de proclamatione carnificis contra reum, quæ in nonnullis locis, etiam moribus nostris, frequentatur, *Steph. hic.* De clamore violentiæ, quo delictum commissum publicè proclamatur, & manifestatur, agit *Paul. Matth. Wehner. in pract. observ. voc. Achtgericht. De Zettergeschrey, vide Frid. Pruckm. vol. 2. conf. 4. num. 78.*

ARTICULUS LXXXVIII.

*De procuratoribus, & defensoribus utriq; partium dandis.*

1. Verba hujus articuli neq; teutonicè, neq; Latinè mihi referre placet. Ad fontem ipsum, & si aridet, *Goblerum, Zieritz. & Matth. Stephani*, qui ultimus, fanè præstantissimus, Jctus laudabilem operam, hunc articulum non vulgariibus, sed doctissimis notis illustrando præstitit, & multa ad praxin pertinentia adduxit, quibus forsan addi possunt à me tradita in *Pentade Consiliorum, conf. 1. quest. 3. & ult. n. 64.*

2. Notandum neminem Advocatum, & Assessorem simul esse posse in eodem Judicio. At rectè Assessor suam personam deponere, & Advocati vices in se recipere potest, *Zieritz. hic, verb. Advocatus iudicii.* An Advocatus Fiscalis in causis criminalibus possit interesse votis Judicum? trado *disc. Acad. 9. coroll. 6.* De Procuratoribus Deum non timentibus consule *Anton. Del re Tiburs. de juran. calum. c. 16. n. 78.*

ARTICULUS LXXXIX.

*Petitio Procuratoris, qui ex officio vel ab accusatore datus, accusat.*

Nolo exscribere, quæ originalis textus, *Gobler. Zieritz. & Stephan.* habent. Remissio igitur fit, & Carolus V. certam accusandi formulam hic præscribere voluit.

ARTICULUS XC.

*Rei per defensorem suum petitio.*

1. Extrema reorum anchora est clementiæ imploratio, *Zieritz. hic, verb. iudicis clementiam, Steph. hic.*

L

ARTI-